

lutionem // pro aliqua scriptura quam fecerit in eodem officio ad comodum et petitionem comunis. ¶ Et dominium quod pro tempore fuerit non possit facere solutionem eidem ultra suum salarium, etiam pena viginti sold. tam pro dantibus quam pro recipiente, et vice qualibet contrafacta, et nichilo[minus] restituere teneatur recepta per ipsum notarium, et etiam ipse notarius debeat et teneatur scribere omnes expensas factas per fontecharium comunis in supradictis quaternis fontecharii et domini potestatis, in concordantia, quemadmodum scribere tenetur frumentum datum panicoculis, etiam pena decem libr. par. pro quolibet notario contrafaciente et vice qualibet. ¶ Et scribere debeat et teneatur omnes inpositas frumenti et bladi dati per fontecharium comunis secundum reformationes maioris consilii super predictis fiendas. ¶ Item exemplare debeat et teneatur omnes rationes fontechi vivas a cancelatis in exitu sui officii. ¶ Item non tenere aliquos quaternos rationis fontechi in sua potestate, et non exire extra civitatem et districtum Tergesti ultra quam per unum diem, nisi cum voluntate domini potestatis et omnium trium iudicum qui pro tempore erunt, etiam sub pena decem libr. par. ¶ Item scribere debeat et teneatur totum panem bulatum per fontecharium comunis et ipsum notarium in duobus quaternis concordantibus, quorum unum habere debeat dominus potestas et alter remanere debeat penes dictum fontecharium, et de pane sic bulato facere debeat qualibet ebdomata<sup>1)</sup> qualibet die sabbati rationem domino potestati et iudicibus comunis, sub pena centum sold. pro quolibet notario contrafaciente et vice qualibet contrafacta.

30 Cap. XVI. Rubrica de forma sacramenti fontecharii et eius notarii.

Iurabit fontecharius comunis sequimen potestatis iudicum vel rectorum, et eius officium legaliter bona fide exercere, inquirere recuperare et conservare omnia bona et iura fontechi,

<sup>1)</sup> et domata.